

Et rursus in Ordinandorum examine germanico repetit ferè eadem verba, inquiens: Noster animus non est, aliam doctrinam accipiendi aut proponendi, nisi unicam illam æternam doctrinam, quam Deus suæ Ecclesiæ per Unigenitum Filium suum patefecit, scriptis prophetis & Apostolicis comprehensam, & in eo intellectu, qui in symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano expressus est, cum quo consentiunt Lutheri Catechismus & Confessio, item Confessio Cesari exhibita Augusta, anno 1530. quemadmodum hæc doctrina, Dei beneficio, unanimiter in Ecclesiis regionum Saxonicarum, Lubeci, Hamburgi, & Luneburgi, & in alijs similibus traditur, cum quibus ad Dei gloriam, & ad multorum hominum salutem cupimus concordiam conservare.

Hæc verba gravibus de causis non tantum ad Pontificios clamores refutandos, sed & ad domestica mendacia confundenda & ad rectè instituendos teneros animos, deniq; ad magistratus nostri clementissimi voluntatem & sinceritatem testandam, recito, quæ est de studio conservandi, & ad posteritatem propagandi doctrinam apertam & explicatam, laboribus Lutheri, & Philippi, iuxta scripta publicata utriusq; quemadmodum & huius anni actiones (quibus reperiuntur & allegantur Lutheri scripta in doctrina de persona Filij Dei, deq; cena dominica & alijs similibus doctrinae articulis, cum in iisdem scriptis

H 4

omnia,